



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De calamitatibus quæ propter Iohannem acciderunt, & de morte Eudoxiæ
imperatricis, & Arsacij: tum de Patriarcha Attico, cuius fuerit, & quibus
moribus. Cap. XXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

antea congregandam diximus: Ea quippe sola est quæ huiusmodi procellarum impetus retundere potest: Quam quidem donec consequamur, expedit medelam calamitatis huius committere voluntati magni Dei ac Christi eius domini nostri. Illa vniuersis quæ nunc per inuidiam diaboli ad examen fidelium perturbata sunt, tranquillitatem dabit: nihil autè desperare debemus, freti nostra in Deum fide: Ac nos quidem multum deliberamus, quo nam modo Synodus Oecumenica congregari possit, per quam diuina voluntate turbulenti isti motus consopiri possint: Expectemus itaque tantisper ac vallo patientiæ communiti, speremus auxilio Dei cuncta nobis esse restituenda: Vniuersa verò quæ vos ibi sufferre dixistis iam antea à coepiscopis vestris, qui Romam licet diuersis temporibus conuenerunt, Demetrio videlicet, Cyriaco, Eulifio, & Palladio, qui nobiscum sunt, diligenti inquisitione habita cognouimus.

De calamitatibus quæ propter Iohannem acciderunt, & de morte Eudoxiæ imperatricis, & Arfacij: tum de Patriarcha Attico, cuius fuerit, & quibus moribus. CAP. XXVII.

Hæc sunt igitur Innocentij literæ, ex quibus animaduertere licet, quam ille opinionem de Iohanne habuerit: eodem temporis tractu perquam magna grâdo Cōstantinopoli & in suburbiis cecidit, & quarta post eam die Imperatoris vxor mortua est: Quæ omnia Deo propter Iohannem indignante fieri, vulgo credita sunt: Nam certe Cyrinus Chalcedonensis episcopus, qui illū præ cæteris calumniatus erat, non multo antea ex infortunio, quod pedi illius acciderat, vtroque crure per medicos mutilatus miserabiliter interiit. Et Arfacius cum exiguo tempore Constantinopolitanæ ecclesiæ præfuisset, est mortuus: Huius successione multis ambientibus, quarto post obitum illius mense, ordinatur Atticus. Constantinopolitani cleri præsbyster, vnus ex insidiatoribus Iohannis. Hic quidem natione erat ex Sebastia Armeniæ, sed à puero ad religionem institutus per monachos Hæ-

SOZOMENI HISTOR.

yesis Macedonianæ sectatores, qui tum temporis Sebe-
 stia in huius sapientiæ studio clarebant, ex scola Eustathij
 progressi, quem Episcopum ibi ac præfulem præstantissi-
 morum monachorum fuisse iam antea cõmemorauimus.
 Hic autem cum ad virilem aetatem peruenisset, ad catho-
 licam ecclesiam transijt. Et quoniam natura magis quàm
 doctrina prudens erat, rerum agendarum insidiator fuit,
 vt qui & ad fruendas insidias & ad easdem euitandas suf-
 ficeret. Ingenio pellaci, ita vt multis gratus esset. In con-
 cionibus ecclesiasticis mediocris, vt hæ neque scripto di-
 gnæ viderentur auditoribus, neque eruditionis prorsus
 expertes: Nam cum affectatus esset, si quando occasionem
 nactus erat, præcipuos quosque Græciæ scriptores lecti-
 tabat, & eo ipso quòd indoctus haberetur, dum de hisce
 discereret, etiam doctos sæpenumero latebat: ferebatur au-
 tem erga suæ opinionis homines industrius, aduersus di-
 uersa sentiētes formidabilis, & facile his ipsis quories vel
 let incutere metum, & mox mutatus apparere mansuetus.
 Atque hunc quidem talem fuisse aiunt illi, qui hominem
 norant. Iohannes porrò postquam in exilium eiectus fuit,
 etiamnum clarior euasit. Nam cum pecuniarum haberet
 copiam, quas & alij multi afferebant, & Olympias illa
 ministra mittebat, multos captiuos ab Isauris redimebat,
 ac suis restituebat, multisque egenis necessaria suppedita-
 bat: quibus autem pecunijs opus non erat, eos oratione si-
 bi conciliabat, eratque perquam charus Armenijs, apud
 quos agebat & eorum finitimis: ac multi tum Antiochia,
 tum ex reliqua Syria & Cilicia ad illum frequentabant.

*Quòd Innocentio fuerit studio Iohannem
 per Synodum reuocare. De aggra-
 uato eius exilio ac morte.*

CAP. XXVIII.

Innoctius verò Romæ episcopus prout antea scrip-
 serat, eum reuerti ipsum cuperet, vnà cum Orientalibus
 episcopis ijs, qui pro eo supplicabāt, misit ecclesiæ Ro-
 manæ episcopos quinq; & presbyteros duos ad Hono-
 rium